



Gotharus regis Egilli filius fuit. Hic post patrem rex constitutus, statuit cum omnibus regibus & principibus vicinis pacem constituere, atque in primis sibi Danos gentem suis iniuriam reconciliare. Itaque filiam Omundi regis per Ebbonem uxorem petiit & impetrauit, Circa annum Christi 400. Verum cum suam sponsam ad se perducere cuperet, Sinuodus Omundi filius id inhibuit. Itaque de nouo inter vicinos populos graue bellum exortum, in quo Gotharus magno animo victor extitit. Postea Gotharus uir suam sponsam abduxit, & magnam partem Daniae suo regno adiecit. In his locis Simonem Snare uirum bellicosum ducem constituit, at

que Danos per eum multoties grauius afflixit. Huius regis Gothari tempore, ob perpetua bella, magna fames in Septentrione exorta. Itaque Gothi & Suedones in tres turmas diuisi, sortibus coniectis, tertiam partem unam cum familiaribus procul a patria excluderunt. Illi in Teutoniam profecti, ad Danubium confederunt, & se Longobardos uocarunt. qui postea Alboino duce in Italiam profecti sunt. Hisce peractis Gotharus reliquis legem in cibo & potu praescripsit, ut fames facilius tolli posset. Cum autem leges illae potentioribus iniquiores uiderentur, Gotharus a fratre inter mutuae contentionis uerba impie trucidatus fuit. Hoc pacto Gotharo sublato, filius eius Adelus in regno successit. lo. Mag. l. 8, ca. 21.